

Longè amandans Hæreses, & errores circa veram & physicam Deipara Conceptionem; quam multisariè statuit ex Evangelisticis Progenitoribus; atque Joachimo, & Anna Maria Parentibus; non absque vario, & eximio Virginea Immunitatis splendore.

SECTIO IX.

Hæreses, veram ac physicam Deipara Conceptionem insipientes arcentur in primis.

370 Cum hæc verba: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: Virgini apponat Ecclesia Orthodoxa, nosque apponenda autumemus in sensu verè litterali secundario; ansam videntur præbere erroribus, qui propriam negant, ac physicam ex humano congressu Deiparæ Virginis Conceptionem; & evēendam censent supra omnem humanæ naturæ conditionem, atque humano ordine minimè peractam: propterea necessariam quæstionem (quam præfixi) in primo hujus Tractatus ingressu disputandam censui. Igitur ad octo prorsus capita errores & Hæreses Marianæ officentes Conceptioni possumus revocare, ut ex accurata SS. Patrum, & Scriptorum lectione didicimus.

Prima hæresis.

371 Prima hæresis fuit Hebræorum, qui Messia Matrem, Spiritum sanctum esse, commentum hausisse videntur ex Evangelio Nazarenorum, in quo hæc Christi Domini extabant verba, teste Origene tom. 2. in Joannem. Dixit Christus: Modò accepit me Mater mea, Spiritus sanctus, in capillorum, & me in montem Thabor portavit. Porro Evangelium illud non levis esse auctoritatis, constat ex D. Hieronymo in Catalogo illustrium Scriptorum, Divo Ignatio in Epist. ad Smyrnæos, Clemente lib. 2. Stromatum, Egesippo apud Eusebium lib. 4. Historiæ, & Origenem apud Hieronymum citatum. Qui omnes Patres, & rursus idem Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, gravia ex prædicto Evangelio producant testimonia. Si ergo Christi Mater, Spiritus S. est, supervacaneo laboramus opere, disputantes an illa Originale contraxerit peccatum, quod dubium non sit, in Spiritum S. cadere minimè potuisse.

Evangelium Nazara.

Maria pro Spiritu sancto habita.

Evangelium illud Nazarenorum est apocryphum.

372 Respondeo primò, Origenem to. 2. in Joannem id ita explicuisse; Matrem Christi dici Spiritum sanctum imitatione pietatis maternæ, non naturali generatione: quemadmodum Dominus Matt. 12. 50. dixit; illum, qui Patris voluntatem fecisset, fratrem esse suum, sororem etiam, ac matrem. Sed enim Origenis hæc expositio coactior est: neque enim in Evangelio Nazarenorum id agebat Christus, ut obedientiam erga Patrem commendaret, sed ut Thaboris Historiam referret. Adde, non majorem futuram esse rationem, ob quam compellasset Spiritum sanctum Matrem suam, quam sororem, aut fratrem. Respondeo igitur secundò; illud Evangelium esse apocryphum, & si extaret, cum judicio esset legendum. Neque obstat V. Beda initio Commentar. in Lucam, scribens, id Evangelium non inter apocryphas, sed inter Ecclesiasticas Historias, esse numerandum, utpote quod

S. Hieronymus ex Hebraica in Græcam, Latinamque linguam transfulerit, multique inde testimoniis sumptis probaverit: non obstat, inquam; nam & Libri 3. & 4. Efdra, Latini facti leguntur, & Patres nonnulla ex illis testimonia petunt, ac tamen pro apocryphis ab Ecclesia habentur; quia licet utilia quædam contineant, fabulis tamen non carent; ut solent similia Volumina erroribus, atque hæresibus scatere, quæ recenset Gelastus Canone, S. Romana Ecclesia, 15. distinctione. Vide Origenem Homil. 11. in Cantica, & Hieronymum Episto. 7. Leonem Epist. 9. c. 15. & Clementem lib. 6. Constitut. c. 16.

373 Secundam Collyridistarum hæresim memorat S. Epiphanius lib. 3. tom. 2. Hæresi 78. his verbis: Admirati sumus, cum aliud audivissimus: alios nimirum ita despere, ut in tractatione de ipsa S. semper Virgine, pro Deo hanc introducere studerint, & adhuc student, & furore quodam, ac amentia ducantur. Narrat enim, quod quædam mulieres, illic in Arabia à partibus Thracæ, hanc vanitatem invexerunt, ut in nomen semper Virginis collyridem quandam sacrificent, &c. Quod totum impium est, ac nefarium, alienum à prædicatione Spiritus sancti. Et rursus Hæresi 79. de eadem superstitione sic scribit: Quædam mulieres curram quandam, sive fellam quadratam ornantes, expanso super ipsam linteo, in die quadam illustri anni, per dies aliquot, panem proponunt, & offerunt in nomen Maria; omnes autem pane participant, &c. Superstitiosus planè cultus, religionis speciem mentitus, Dæmonis astu muliebri levitate abutentis excogitatus, ut veram, ac sanctam Deiparæ hyperduliam in fabulosa perverteret signenta.

Secunda hæresis.

Apud S. Epiphani.

Deipara pro Dea habita.

374 Sed uno verbo foemineam hanc levitatem perstrinxit S. Epiphanius. Cesset, inquit, error seductorum; neque enim Deus est Maria, neque de celo corpus habet; sed ex conceptione viri, & mulieris. Non alio grandiori, ac robustiori argumento Apostoli, ac viri Apostolicæ doctrinæ imbuti, vanissimorum Deorum cultum exigendum toto orbe censuerunt, quam ut eos, quos delusæ Gentes pro Diis habuissent, homines reverà fuisse, ex aliis hominibus prognatos, ostenderent; neque fieri posse, ut Deus, cujus natura spiritalis, infinita, æterna, per se ipsam existit, ab humanis parentibus, per humanam finitam, temporariamque generationem, vitam exprimat. Lege utramque Justinii Martyris Apologiam, Athenagoræ item & Theophili, Tatiani, Tertulliani, Arnobii, Minutii Apologetica pro Christianis contra Gentes, nec non & priores Augustini de Civit. Dei Libros, in quibus doctissimi Patres Saturni, Jovis, Apollinis, Mercurii, Junonis, Minervæ, Veneris, ac cæterorum, & cæterarum fabulosam replicant Theogoniam, imò Astropogoniam demonstrant. Cum igitur Mariæ generationem ex mutuo avorum, & aviarum connubio; cum

S. Epiphani.

S. Damas.

Dea placens culta.

S. Epiphani.

Maria pro Angelo habita: terribis hæresi.

Quoad puritatem attinet, Deipara Angelus est, imò supra Angelos.

cum Conceptionem ex communi Patris Matrisque congressu certissimo constat ex Evangelio, semperque constiterit existisse; nullo alio validiori opus fuit argumento, quo Thracum delirium foeminarum in ipso suo opprimeretur exordio; quam ut Maria Deipara communi Patris, & Matris conjugio propagata fuisse monstraretur; quod certissimâ traditione præstitit Epiphanius. Adde S. Joannem Damascenum, qui in Orat. 2. de B. Mariæ Assumptione eundem errorem ex ejus de Virginitate morte confutat. Ejus dormitionem celebramus, non Deam hanc esse prædicantes (Græcarum præstigiatorum sunt hujusmodi figmenta) quippe cum ipse etiam mortem narremus: sed Incarnati Dei Matrem agnoscentes.

375 Viguerat olim apud Israelitas similis superstitio, Reginam cæli simili collyridarum, seu placentarum cultu venerantes; quam multis exagitaverant Prophetæ 2. Reg. 13. v. 8. & 10. Jeremias c. 7. 18. & cap. 44. 17. Itaque collyridistarum error placentis Mariam colentium, damnatus jam fuerat à Spiritu sancto, ethnicam præ se ferens superstitionem, qua Ægyptii Isidem placentis placabant luniformibus, auctoribus Plutarcho lib. de Iside, Apuleio lib. 11. suæ Metamorphosis, & Harpocrate lib. de Placentis, quas Amphiphontes vocarunt Philemon in Mendico, & Phifocorus apud Athenæum lib. 4. Deinosophistarum. Porro, Deam placentis cultam Philocorus & Philemon Dianam dicunt; Tertullianus in Apologetico c. 23. & 24. & Philastrius lib. de Hæresibus, Africanam cælestem, aut cæli Reginam putant; alii aliam; neque refert, ignotam esse, dum constat fuisse damnatam. Quæcumque illa sit, Maria certe non est, quæ misericordiæ Mater placentis placari neque velit, neque pro Dea unquam Ancillam Domini patriatur adorari. Reverà sanctum erat corpus Mariae (ait Epiphanius proximè memoratus,) non tamen Deus: reverà Virgo erat ipsa honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipso carne genitus est. Dum negat, adorationem Mariæ deferendam, ut prædictam Hæresin de medio tollat, latruncinam intelligit soli Deo debitam, non hyperduliam.

376 Tertiam posterioribus Manichæis describit hæresim S. Thomas lib. 3. senten. Dist. 4. q. 2. Eandem attribuunt Catharis Reineirus lib. contra Waldenses cap. 7. & Pegna in Commentario 38. quæst. 13. partis 2. Directorii Eymerici. Satis his Hæreticis videbatur, Dei Matrem in Angelum transformasse. Itaque Mariam Angelum aliquem esse, asserunt Albanenses, Bagnolenses Cathari, eorumque Dux Belazmansa; nec non & Episcopus Ocorozensis Nazarius, qui id Bulgarorum Episcopo acceptum referebat. Cathari porrò (quod nomen Puros significat) ab omnibus peccati, etiam Originalis, sordibus puros se esse jactabant, auctore Prateolo lib. 3. Elenchi Hæreticorum. Mariam ergo Dei Matrem, ut longè puriorem esse docerent, Angelum ajebant, humanæ creationis, ac maculosæ generationis expertem.

377 Certè, quoad puritatem attinet, salva res est; Mariam Virginem Matrem plusquam cælesti munditia Seraphinos etiam superasse, SS. Patres proclamant. Neque natura obest humana: ut enim sapienter scripsit in Epistola ad Joannem, Martyr Ignatius: In Maria Ma-

tre Jesu humanæ naturæ naturæ sanctitatis Angelicæ sociatur. Neque alia sententia est S. Anastasii Antiocheni Episcopi. lib. 7. Anagogica. Contempl. in Hexaemeron, dum de Visitatione ageret: Elisabeth, ut præclara par Angelis, Angeli Mater, dixit pari Angelis, & quæ erat vel Angelus, vel Archangelus, & etiam supra Angelos, Dei Matri: Unde mihi hoc, ut venit Mater Domini mei ad me? Gratiâ Angelum, seu Archangelum, imò Angelicam omnî sanctitate Mariam majorem asserit. Cæterum, quod ad naturam spectat, humano ex genere illam esse, non Angelico, præter superiora argumenta, disertè docet Apostolus ad Hebræos 2. 16. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: quem de humana Christi Incarnatione in Virgine & ex Virgine Abrahamide, ac proinde Adamide, universi Patres exponunt. Unum audi Bernardum Ser. de Aquæduct. Denique Veritas de terra orta est; non de Angelica creatura; nec Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est Angelo, ut minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Finiam, si Joannis Cantacuzeni prius Imperatoris Constantinopolitani, postea Monachi Ioasaph ex Apologia 3. contra Hæresin Saracenorum sententiam recitavero, qua utramque distinctionis partem complectitur, naturæ humanæ, & puritatis plusquam Angelicæ in Deipara. Credimus, inquit, & confitemur, quod Maria similis homo, nec natus sit, nec posthac ex viro, & muliere nasciturus usque ad consummationem sæculi; & secundum humanam naturam, eam Angelis inferiorem esse judicamus, tanquam hominem: honore autem, & sanctimonia ipsam omnibus Angelis indubie præferimus, eo quod Verbum, & Filium Dei secundum carnem peperit.

S. Ignati; S. Anasta. Antioche.

Hebræi, 2. 16.

S. Bernard.

Angelus minister Dei, Maria Mater Dei, Ioannes Cantacuz.

Maria honore & sanctimonia Angelis præferenda.

Quartus error, ex Anna Virginem asserit conceptam absq; virili semine.

378 Aliò abierunt alii, qui, licet humanam faterentur foemina, humano tamen more minimè conceptam, aliis, atque aliis erroribus commentum sunt.

Quidam, quorum nomen suppressit S. Epiphanius Hæresi 79. Beatam Virginem ex sola Anna, absque ullo virili congressu, fuisse conceptam, putarunt. Nugatorium erroris argumentum in hunc modum recitat, ac reicit S. Doctor. Tamesi Historia Mariæ, & traditiones habent, quod dictum sit patri ipsius Joachim in deserto: Uxor tua concepit: tamen non quod sine conjugio hoc factum, neque sine semine viri: sed futurum Angelus missus prævaticinatus est. Et paulò post: Hoc verò factum est quibusdam in errorem: impossibile enim aliquem in terra generari præter hominum naturam. Solum enim ipsum decuit, soli ipsi natura cessit; hic velut plastes, & rei potestatem habens, seipsum de Virgine, velut de terra, efformavit, qui de calis descendit, & carnem induit Deus Verbum ex S. Virgine. Erroris occasionem inde captam, asserit Epiphanius, quod Angelus, qui Mariæ Conceptionem annunciat, Joachimo ejus Parenti dixerit: Uxor tua concepit; quasi conceptionem Filia in conjugis Annæ utero peractam fuisse significaverit, absque ulla prorsus virili congressione. Hunc eundem errorem S. Antonius p. 1. Chronici, Titulo 4. c. 6. §. 10. nuncupat fatuorum sententiam; & p. 4. Summæ, titulo 15. c. 4. §. 2. Hæresim apertam.

S. Epiphani.

379 Sed certè, ut ita locutus sit Angelus: Uxor tua concepit, more ille Prophetico proph-

S. Epiphani.

tizans locutus est. Cautè quid à Deo dispen- satum fuit (inquit Epiphanius) velut jam per- fectum predicabatur; ut ne fides veritati non haberetur; ut ne in dubitationem veniret suspi- cione Propheta tam admirandum ac stupendum mysterium, quod futurum erat. Firmat Scriptu- ræ intelligendæ Canonem, quo Vates, ut cer- tissimum fore Vaticinium significarent, verbis præteritis utebantur, exemplo Isaia 53. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nos- tros ipse portavit. Et v. 7. Sicut ovis ad occi- sionem ductus est. Quod tamen vulgatus, ut He- braismum solveret, per futurum extulit; du- cetur. Prophetica hæc regula frequens est, quam multis commendat S. Hieronymus in cap. 30. Ezechielis, & in 2. ad Ephesios. Sic etiam de Maria Angelus prædicebat (conclu- dit Epiphanius) id quod futurum erat, nempe: Uxor tua concepit in utero: quo firmiter perfi- ceret cogitationem fidelis in promissione. Hæc ab Epiphanio ex abundanti dicta. Cæterum falsò Hæretici vetustam jactabant Historiam; neque enim Angelus dixit Joachimo: Uxor tua concepit; sed, ut refert S. Hieronymus ex Seleuci libello de Nativitate S. Mariæ: Anna uxor tua pariet tibi filiam.

Isai. 53. 4.

S. Epiphani.

S. Hieron.

Quintus error concep- tam Deipa- ram putat ex solo An- na & Joa- chimi am- plexu, & oscu- lo.

Molanus.

380 Quintus huic proximus error eorum fuit, qui B. Virginem ex solo utriusque Parentis Annæ, & Joachimi osculo, & amplexu conceptam fuisse sinxerunt. Hunc Robertus Carazolus Episcopus Aquinensis in Ser. de Conceptione B. Mariæ, Hæreticum appellat Vulgi deliramentum; idque graviter damnat Ferreolus Locrius lib. 5. de Maria Augusta c. 9. & 10. Joannes Molanus lib. 3. de Historia Sanctarum Imaginum c. 55. Conceptam esse B. Virginem ex osculo, est fabulosum, & obscu- rum quorundam figmentum. Unde etiam memi- ni, me in Oliverii Mailardi sermonibus legisse acrem reprehensionem imaginis, in qua Anna, & Joachim sub aurea porta se mutuo oscu- lantur, cum inscripta rubrica: Taliter concepta est B. Maria. Videtur mihi erroris occasionem desumpsisse ex apocrypho libro, qui inscribitur, Proto-Evangelium Divi Jacobi, in quo sic habet impressum in Germania exemplar: Et stabat Anna in porta, viditque Joachim venientem cum gregibus suis, & accurrens appensa est collo ejus, dicens: Nunc cognosco, quod Dominus Deus benedixit mihi vehementer, quoniam quæ eram ster- ilis, in utero habeo; ubi videntur mihi, pro ha- bebo, legisse, habeo. Hactenus Molanus.

381 Porrò Germanicum illud Proto-E- vangelium, ex quo occasio redditur figmen- ti, apocryphum est, narrationem absurdissi- mam de Maria, & Joseph, stupri & sacrile- gii accusatis, atque Iustitiam Mosis aquâ ex- purgatis, continens. Inter Apocrypha reji- ciunt Posselinus in sacro Apparatu, ex lib. 2. Biblioth. Sixti Senensis; & Molanus relatus, ex Canone Gelasii Papæ, Sancta Romana Ec- clesia, Distinct. 15. Ubi quamvis hoc non exprimi- tur, similia tamen aliis Pseudo-evangelii- bus ibidem damnatis universim rejiciantur, qui- bus hoc etiam adnumerandum. Licet autem legitima Scriptura esset, nihil continere fer- tur, quod fictitiæ illi Mariæ conceptioni fa- vere possit: neque enim ait, Annam, dum Jo- achimum ad portam auream obvium habuit, illi dixisse: Quæ eram sterilis, in utero habeo, videlicet non ex virili ullo semine, sed dixisse: in utero habeo, depulsa certè divinitus ster- rilitate, admisa verò humanitus, atque con-

cepta maritali geniturâ. Ac licet etiam dixisset habeo, perinde esset atque habeo; cum sæpè Hebræi præsentia verborum tempora, ut nuper dicebamus, pro futuris usurpare so- leant, dum rem certissimò futuram affirmant.

382 Sextus fuit Hebræorum quorundam er- ror, quos refert, & sequitur vir pius & Ca- tholicus Petrus Galatinus lib. 7. de Arcanis c. Galatin. 3. his verbis: Cum Deus Adam plas- maret, fecit quasi massam, ex cujus parte nobiliori ac- cepit intemerata Matris Messia materiam; ex residuo verò ejus, & superfluitate Adam for- mavit. Ex materia autem immaculata Ma- tris Messia facta est virtus, quæ in nobiliori lo- co, & membro corporis Adæ conservata fuit, quæ postea emanavit ad Seth, deinde ad Enos, deinde succedaneo ordine ad reliquos, usque ad S. Joachim. Ex hac demum virtute B. Mater Messia formata fuit. Hæc Galatinus de Rabbi- norum sententia. Ex qua, inquit, opinione aperte concluditur, carnem gloriosa Matris Messie non fuisse peccato originali infectam, sed purissimam à divina providentia præservatam. Quocir- ca nec anima ejusmodi peccatum in concep- tione contractura erat. Hanc porrò Thalmudi- cam opinionem apertius tueretur Galatinus se- quenti c. 4.

383 Gemellus errorem asserentem, in pri- ma creatione, Christi carnem à reliqua huma- na materia divinitus fuisse discretam, atque à primo Parente usque ad sanctissimam Virgi- nem per intermedios Progenitores impermix- tam esse trajectam, multis damnat S. Thomas lib. 3. sentent. distinct. 3. q. 4. a. 2. & 3. p. q. 31. a. 6. quem sequitur doctissimus Suarez ibi in Commentario. Item S. Bonaventura 3. di- stinct. 3. p. 2. a. 2. q. 1. & Richardus Mediavillensis a. 3. q. 1. Et quidem eadem omnino ratio erat erro- ris, sive de Christo D. sive de ejus pronun- ciaretur Matre, ut ipse fatetur Galatinus c. 4. lib. 7. Unde ad argumenta S. Thomæ erro- rem exagitantis, quatenus de Christi carne agebat, responderet Marianæ conceptioni offi- cere potuisse, quam ipse de Rabbiorum sen- tentia confinxerat. Lege Egidium Conimbricensem lib. 2. de Præservat. B. Mariæ q. 1. a. 2. ubi Rabbinicam hanc nuncupat fabulam multa continentem falsa, & improbabilia, quæ sine temeritate non possunt defendi, utpote non Philosophiæ modò, sed veræ quoque Theologiæ contraria.

384 Argumenta verò S. Thomæ hæc sunt. S. Thom. Primò, quia secundum hanc positionem, Christus non esset filius Virginis, nec verè ex stirpe ali- cujus Patrum progenitus, nisi solum ex Adam. Illa enim pars, quæ incorrupta in humana na- tura remansit, in omnibus aliis ab Adam, fuisset quasi extraneum ab eis, soli Adæ commaturale quantum ad primum statum. Secundo, quod tol- litur congruus satisfactionis ordo: sicut enim non erat decens, ut pro Adam, & ejus successione corrupta aliquis satisfaceret, qui ex illo genere non esset; ita etiam non esset congruum, ut naturam infectam satisfaciendo sanaret Dei Filius, nisi hoc ipsum, quod prius infectum fuerat, assump- sisset. Et ideò dicendum est, quòd caro Chri- sti, secundum quod fuit in Patribus, & etiam in ipsa B. Virgine, peccato infecta fuit, antequam assumeretur, sed in ipsa assumptione ab omni infe- ctione peccati purgata est, ut secundum quod est caro Christi, in ea nihil macule invenitur. Quod S. Tho-

S. Thomas ait, carnem Christi, secundum quod fuit etiam in Virgine, peccato fuisse infectam, de peccato debito intelligendum est, non de ipsa peccati macula; ne sibi ipsi contradicat, qui in eodem opere sententiarum immunitatem Marianam asseverat lib. 1. dist. 45. q. 1. a. 3. ad 3. Quo posito, utraque Angelici Docto- ris ratio perinde probat, Beatam Virginem con- ceptam non fuisse ex illa particula, à reliqua Adami massa semper separata, ac probat Verbum nequaquam hujusmodi impermixtam mate- riæ partem assumpsisse. Nam alioquin Dei- paræ proavi Abraham, David, & reliqui non fuissent propriè ejus progenitores, sed ejusce materiæ materiarii susceptores, at- que ab altero in alterum transfusores. Deinde humani generis redemptio non fuisset per- acta ex eadem peccatrice natura, quod est contra Patrum, Conciliorum & Scriptura- rum certam Theologiam. Similia sunt S. Bo- naventura argumenta, quibus adversarios effi- caciter premit. Illa quidem elusisse potius, aut suppressisse maluit Galatinus, quam exolvisse. Fundamenta autem, quibus suam firmat opina- tionem, Rabbinica omnino sunt, id est, profus nugatoria: ut legenti clarebit.

Septima hæ- resis. Philip. Paracel.

385 Septima hæresis fuit Philippi Paracel- si lib. 2. c. 2. existimantis, Mariam virginem, ex qua nova creatura produit, filiam fuisse Abra- ham juxta promissionem, at non ex Adamo, neque ex ejus semine. Et rursus infra: Virgo Maria Mater nostra pura fuit absque carne, & sanguine Adam, & Evæ. Cujus hæreseos futile profus argumentum illud fuit, quòd Mariæ nova creatura in Scripturis celebra- rimæ, nova Mater existat, ac proinde ex nova carne, novoque sanguine compacta, non ex vetusta illa Evæ, Adamique materia concre- ta. Itaque primam Virginis originem, non ab Adamo, sed ab Abrahamo repetendam vo- luit Paracelsus; cui scilicet Patriarchæ novum semen olim esset promissum, Genesis cap. 15. 5. & c. 22. 18. & quem unum nominasset Patrem eadem Virgo Luc. 1. 55. cui primò poste- riores addidisset atavos, dicens: Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula.

Nova crea- tura Deipa- ra, etiam si ab Adamo originem re- petat.

386 Sed certè, novam creaturam esse, & ab Adamo tamen physicam originem repe- tere, non repugnant. Alioquin illos omnes quos Christi sanguine redemptos, Christianaque sanctitate florescentes, Paulus vocat novas crea- turas 2. ad Corin. 5. 17. ad Galat. 4. 15. ad Ephes. 2. 10. Et Jacob in Canonica c. 1. 18. ab Adam natura alienos putavit. Novæ crea- turæ nomine, insignem significari Christianæ vitæ mutationem, qua homo, absque propriis meritis, abjecta peccati vetustate, per divinam gratiam, veluti ex nihilo excita- tur, atque ad justificationem promovetur, Pa- tres intelligunt, nominatim Chrysostomus in locum Apostoli primò citatum, Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, Beda, cæteri. Præ- terea quænam delira novandi libido est hæc, aut quæ arguendi imperitissimus cacochæ- thos, Mariam asserere Abrahami Filiam, Adami verò negare? Certum est vel naturæ lumine il- lud S. Damasceni pronunciatum de avito B. Virginis genere agentis Orat. 2. de ejus Nativi- tate: Quod gignitur, ejusdem generis esse cum ge- nitore, id verò compertissimum.

S. Damaf. Octava hæ- resis.

387 Octava denique refertur hæresis à Ni- ceta lib. 22. Theauri Orthod. in Anathema-

tismo Saraceni XII. Anathematizo Mahome- di nugas, quibus ait, quòd Dominus, & Deus noster Jesus Christus ex Maria Moyssis, & Aaronis sorore natus est. Merum quidem deli- rium turpidissimi nugatoris. Etenim Maria so- ror Moyssis obiit anno Mundi 2483. Maria Dei- para nata est anno Mundi 4002. Vide quàm immani mendacio nugacissimus nebulo vel in ista peccavit. Qui ergo Christus Dominus ex sepulta ante mille quingentos annos foemi- na oriri posset? Præterea utrum Moyssis soror Virgo fuerit, nec ne, problema est apud graves Auctores, asserentibus Ambrosio in exhortat. ad Virg. & Nysseno lib. de Virginit. c. 6. ne- gantibus Josepho lib. 3. q. 51. & 52. & aliis. Itaque dubiam Mahomedes Deiparæ Virgini- tatem optavit, quam Orthodoxa fides certissi- mam apud Christianos constituit.

388 Denique, erroribus hætenus enumera- tis & explosis minimè suffragantur Deiparæ verba apud Siracidem: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Non enim ita rigidè, ac pressè, & in ea rigida, ac pressa significatione accipienda sunt de Deipara Virgine, atque de Christo Domino, vel quæ Deus, vel quæ Homo est: sed in latiori alio, laxiorique sensu, proprio tamen & accom- modo; quatenus videlicet magna Dei Mater in decretis, ac præfinitionibus divinis præ- missa, & præfinita fuit, ante omnem aliam creaturam, ut primogenitæ jus, & nomen fer- ret. Vel etiam, quatenus usque adeò pura, & sancta extitit Mariana Conceptio, omni profus peccati maculâ longè amandatâ, ut, at- tentâ ejus immunitate, & plenâ gratiæ nite- lã, non nisi à Deo dicatur produisse. Adde; etsi Maria per communem viri generationem, ac foeminae conceptionem fuerit procreata; ad Deum tamen hæc procreatio referenda est, ut in Auctorem supernaturalem, ut quæ miracu- losa extiterit ex sterilibus profus Parentibus. Quæ omnia ex infra dicendis luculentiora erunt. Interim Catholica dogmata adversus præjactas hæreses, & errores statuamus.

Qua ratio- ne ex ore Deï procedere dicatur Ma- ria.

SECTIO X.

B. Virginem Mariam naturali Avorum gene- ratione, & Aviarum conceptione fuisse pro- creatam.

Ad Matth. 1. v. 2. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, &c.

389 Mariam Deiparam, neque Deam quamquam, neque Angelum esse aliquem, neq; ab Adami stirpe alienam, neq; alio quàm humano more conceptam, Catholica fides est, Eam, præter cætera, hoc explicare juvat argumento, quod Evangelica suggerit Marthæ Genealogia. Nam eodem studio, quo S. Evangelista Christi D. avos, ac proavos recensuit, Virginis quoque Matris gentilitiam retexit nobilitatem. Itaque sapienter S. Anselmus Cantuariensis in Epist. ad Episc. & Or- thodoxos Anglos, in hanc sententiam scriptit; Conceptionem Dominicæ Matris colere, est, Christi generationem commemorare: nam Virginis Christi Matris Conceptio, Christi generationis est his- toria, atque Deipara Matris hæc describitur.

Eadem ope- ra Genealo- giam Chri- sti, atque Deipara Matris hæc describitur.